



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Illvstri Regi Ottoni In Romanorum Imperatorem electo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**



liberè fiant, eorumque profecutionem five processum nul-  
lus impedire præsumat. Illam quoque dimittimus & re-  
furamus abulum quem in occupandis bonis decedentium  
Prælatorum aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri con-  
fueverunt antecessores committere pro motu propriae vo-  
luntatis. Omnia verò spiritalia vobis & aliis Ecclesiarum  
Prælati relinquimus liberè disponenda; ut quæ sunt Cæ-  
saris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo recta distributione red-  
dantur. Super eradicatione autem hæreticæ prævaricatis er-  
rore auxilium dabimus & operam efficacem. Possessiones  
etiam quas Ecclesia Romana recuperavit ab antecessoribus  
nostris seu quibuslibet aliis antè detentas liberas & quietas  
sibi dimittimus, & ipsam ad eas retinendas bona fide pro-  
mittimus adjuvare. Quas verò nondum recuperavit, ad  
recuperandum pro viribus erimus adiutores; & quacun-  
que ad manus nostras devenient, sine difficultate ci resti-  
tuere satagemus. Ad has pertinet tota terra quæ est à Ra-  
dicofano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, duca-  
tus Spoletanus, terra Comitissa Mathildis, comitatus Bri-  
tennoij, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, cum aliis  
adjacentibus terris expressis in multis privilegijs Impera-  
torum & Regum à tempore Ludovici, ut eas habeat Ro-  
mana Ecclesia in perpetuum, cum omni jurisdictione,  
districta, & honore suo. Veruntamen cum ad recipiendam  
coronam imperij vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab apo-  
stolica sede vocati venerimus, de mandato summi Pontifi-  
cis recipimus procuraciones live fodrum ab illis. Adju-  
tores etiam erimus ad retinendum & defendendum Ecclesiæ  
Romanæ regnum Siciliae ac cetera jura quæ ad eam perti-  
nere noscuntur, tamquam devotus filius & catholicus Prin-  
ceps. Ut autem hæc omnia memorato sanctissimo Pa-  
tri nostro Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo  
Pontifici ejusque successoribus per nos & nostros suc-  
cessores Romanos Imperatores & Reges observentur, fir-  
maque & inconcussa semper permaneant, præsens privi-  
legium conscriptum majestatis nostræ aurea bulla iusti-  
simè communiti.

Signum Domini Ottonis quarti Romanorum Regis  
inviolabilissimi.

EGO Conradus Spirensis Episcopus vice Domini Siffri-  
di Maguntini Archiepiscopi & totius Germaniæ Ar-  
chiepiscopi, regalis aulæ Cancellarius, recognovi.

Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis millesimo  
ducentesimo nono, Indictione duodecima, regnante Do-  
mino Ottone quarto Romanorum Rege glorioso, anno  
regni ejus undecimo. Datum apud Spiram x. Kalend.  
Aprilis.

LITTERÆ OTTONIS REGIS  
ad Dominum Papam.

REVERENDO in Christo Domino & Patri suo dilectissimo  
Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo  
Pontifici, Otto Dei gratia Romanorum Rex semper  
Augustus, salutem in Domino & totius filialis dilectio-  
nis plenitudinem. Cum nos omnem honorem nostrum,  
quem obtinendo Romanum imperium, licet cum multo  
labore & sudore, post Deum vobis adscribimus, non im-  
merito nobis de vobis est presumendum & in sanctitate  
vestra est confidendum quòd vos de omni prosperitate &  
salute nostra sub affectu paternæ dilectionis nobis con-  
gaudere debeatis. Significamus igitur vestræ sanctitati  
quòd nos juxta honorem nostrum & imperij feliciter  
dispositis & ordinatis in Alemannia nostris & imperij ne-  
gotiis, cum exercitu forti & glorioso montes magnos  
transivimus, & jam ad Padum transmeavimus, proces-  
suri ad vos ut recipiamus à manu vestra benedicta bene-  
dictionem & consecrationem diadematis imperialis. Re-  
cepit denique nuntius vestrus, quos ad nos transmissit, re-  
videlicet Andrea Subdiacono & Clerico vestro, & Thurando  
fratre Hospitalis sancti Iohannis, auditis quoque om-  
nibus iis quæ ipsi nobis ex parte vestra prudenter & discre-  
te proposuerunt, & iis plenè intellectis, habito consi-  
lio Principum & fidelium nostrorum, nuntios nostros,  
honestos & solemnes latores presentium, dilectos fideles  
nostros, videlicet Conradum Spirensis Episcopi & reg-  
alis aulæ nostræ Cancellarium, Cunradum Brixinensem  
Episcopi, Iohannem Cameracensem Episcopi, &  
Henricum Mantuanum Episcopi, & magistrum Hen-  
ricum Scholasticum sancti Gereonis in Colonia, Gunze-

Tom. I.

linum Senefcalcum nostrum, Cunonem Camerarium no-  
strum, H. de Finabache, viros utique providos & hone-  
stos, ad presentiam vestræ sanctitatis duximus destinan-  
dos, verbum nostrum ad vos deferendum ipsis plenissimè  
committentes. Mandamus igitur vobis & omni precum  
vos instantia rogamus ut vos iis omnibus fidem indubita-  
tam adhibeatis quæ ipsi ex parte nostra vestræ propolue-  
rius paternitati.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN  
Romanorum Imperatorem electo.

QUANTUM auxilij & favoris impenderimus  
tibi, carissime fili, ad imperium obtinen-  
dum totus penè orbis agnoscit, & opera pro-  
testantur quæ perhibent testimonium veritati,  
teste veritate quæ dicit: *Arbor ex fructu cognos-  
citur*, id est, caritas ab effectu. Licet ergo ferven-  
tes & efficaces fuerimus ad tuam promoven-  
dum honorem tam in principio quam in medio,  
longè tamen ferventiores & efficaciores esse de-  
sideramus in fine, ut ex omni parte cognoscas  
dilectionis affectum quam ad tuam regalem  
personam habemus; pro certo sperantes quòd  
tu semper tantæ dilectionis memor existens,  
grata nobis curabis vicissitudine respondere;  
cum etsi tua nobis devotio valde sit necessaria,  
nostra tamen dilectio multùm sit tibi omni tem-  
pore opportuna. Recepimus igitur honorabiles  
tuæ sublimitatis nuntios honorificè ac benignè.  
Quibus diligenter auditis, gratum solito more  
curavimus dare responsum. Ut autem inten-  
tionis nostræ propositum tibi plenius innotescat,  
mittimus ad tuam regalem presentiam dile-  
ctos filios nobilem virum Petrum urbis Præ-  
fectum & magistrum Philippum Notarium no-  
strum, quibus fidem adhibeas super iis quæ tibi  
ex parte nostra duxerit proponenda, pro-  
videns diligenter ut consilium nostrum exequi  
non postponas.

OTTO Dei gratia Romanorum Rex & semper Augus-  
tus. Notum fieri volumus universis presentem pa-  
ginam intuentibus quòd nos juramenta securitatis vene-  
rabilibus patribus nostris Innocentio Papa & Cardinalibus  
sanctæ Romanæ Ecclesiæ & rerum ipsorum & totius po-  
puli Romani in coronatione nostra, illuc eundo, ibi stan-  
do, & inde redeundo, quæ Principes, Comites, Barones,  
nobiles, & alij imperij fideles de mandato nostro & in  
nostra fecerunt presentia, rata habemus, & ea secundùm  
quod in scripto distinctum, & bona fide utriusque est intel-  
lectum, nos observaturos promittimus, & firmiter & in-  
violabiliter faciemus observari. Datum in castris in Mon-  
temalo i. v. Non. Octob. Indictione decimatercia.

SVMMO PONTIFICI.

REVERENDO in Christo Domino & Patri suo sanctissimo  
Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo  
Pontifici, Otto Dei gratia Romanorum Imperator sem-  
per Augustus, salutem & filialis dilectionis plenitudinem.  
Desiderium nostrum jamdiu in corde nostro conceptum  
per misericordiam Dei & per gratiam vestram nunc est  
adimpletum, videlicet quòd faciem vestram vidimus de-  
sideratam, & quòd à manu vestra benedicta gloriosè co-  
ronam suscepimus imperialem. Super quo & Deo & vo-  
bis, qui vicem ejus geritis, etsi non debitas, quas ta-  
men possumus gratiarum exsolvimus actiones. Verùm  
cum apud vos essemus & apud Viterbiam & hic Romæ,  
tantum spatium temporis habere non potuimus quòd nos  
super iis ad plenum vobis loqui non poteramus quæ hono-  
rem Dei & salutem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & que-  
tem necessariam totius Ecclesiæ respicere videntur. Sum-  
mum igitur desiderium super iis loqui vobis habentes,  
mandamus vobis & humillima & devotissima vos precum  
rogamus instantia ut vos principaliter propter Deum &

E E e e e

Epist. 191.

Epist. 192.

Epist. 193.